Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 971

Quelle:
Copyright:

extremi Judicii. Per decurſum citatur *Thomas Aq. Scotus*, *Henr. de Haſſia* &c.

VIII. *fol.* 133. Tractatus *contra neceſſitatem utriusque ſpeciei* in Caena domini ſine Autoris nomine. Initium eſt: *Sunt nonnulli, qui quibusdam ſcripturis moti laycos communicant ſub utraque ſpecie ſacramentali* &c. Finis: *quod ad ſalutem eque bene poteſt fieri per pauciora.*

IX. *fol.* 147. Compendium *Hiſtoriae Evangelicae* hoc ingreſſu: *Sciendum quod ſecundum Remigium et bernhardum et ſanctum Auguſtinum Jeſus natus eſt* &c. Finit: *regulariter ordinatum commemorat. Amen Et finitur Regiſtrum hyſtoriarum ewangeliorum.*

X. *fol.* 148. p. 2. Tractatus *catechcticus* absque autoris nomine, ad calcem dictus *Lucerna Simplicium.* Initium eſt: *Paſtoribus ſuis confratribus verus Joſeph deus aijt. Non videbitis faciem meam* &c. Exponuntur vero Articuli Fidei, Oratio Dominica, cultus dierum feſtorum, qui Autori praecipue ſunt *Feria* VI. *Sabbatum* et *Dominica*, Decalogus, Peccata dicta Capitalia, Sacramenta, et variae Virtutum ſpecies.

XI. *fol.* 166. p. 2. *Tractatus magiſtri Henrici de Haſſia*, qui incipit: *Tibi dabo claves regni celorum Matth. XVI. Verbum hoc cuilibet dicitur confeſſori, qui abſolvendi habet poteſtatem* &c. Saepius indicatus. An idem ſit cum eo, quem *Fabricius Memmingae* ſub titulo *de Eruditione Confeſſatiorum* anno 1483. editum adfirmat, dicere non poſſum.

XII. *fol.* 173. absque inſcriptione Tractatus *de Arte moriendi.* Initium eſt: *Cum de preſentis exilij miſeria mortis tranſitus propter moriendi impericiam multis non ſolum laycis verum eciam religioſis atque deuotis difficilis nimis — videatur, Idcirco in preſenti materia que de arte moriendi eſt* &c. Dividitur autem in VI. Particulas, *quarum 1ma de laude mortis et ſcientia bene moriendi extat, 2a temptaciones morientium, 3a interrogationes, 4a quandam inſtructionem cum obſecrationibus, 5a exhortationes, 6a continet orationes dicendas ſuper agonizantes.* Ultima eſt nota illa: *Proficiſcere anima chriſtiana* &c. Et clauſula: *Et ſic eſt finis huius operis de arte moriendi.* Atque haec ſufficiant ad Opuſculum iſtud a pluribus aliis, quae hoc titulo feruntur, diſtinguendum. Recurrit.

XIII. *fol.* 178. *Prefatio ſuper ſeptem pſalmos penitentiales a domino petro de Aillaco* (d'Ailly, Alliaco) *Epiſcopo Cameracen. poſtmodum ſancti Criſogoni presbitero Cardinali. Vera penitentia velud ſcala quedam eſt* &c. Ex quibus verbis Meditationes has etiam *Septem Gradus ſcalae Poenitentiae* inſcriptas invenias. Excuſae ſunt primum cum aliis magni Autoris Tractatibus *Argentinae* 1490. f.

XIV. *fol.* 190. p. 2. *De modo confitendi compoſitum per eximium doctorem Anthonium. de butrio.* Brevis haec Inſtructio, quae incipit: